

cum is sit stella fixa materia primi Elementi maxime mota
gaudens, suaque nativa luce omnes Planetas irradians; *Vid.*
Disput: de Sole nuper sub Praesidio Nob: DNI. Praesidis habita.
Non enim locum invenit Copernici sententia, qua vult,
Venerem luce coruscare congenita, argumento, quod praë
omnibus maxime splenderet; Sed hæc falsa est illatio;
Splendor enim ille non provenit à luce congenita, sed à vi-
cinia ejusdem cum Sole; Imo Ipse suum systema mundi
hoc ipso refutaret, cum Venus uti demonstravit, etiam re-
tetur circa Solem; Præterea mutat suam faciem, ita ut mox
major, mox minor appareat.

§. 5.

Alii & quidem *Paracelsista* statuunt tria corporum
Elementa Chymica, *Salem* sc. *Sulphur* & *Mercurium*, sensu-
lia quidem, sed spiritu insito & astrali prædita, quæ tria o-
mnibus inesse corporibus exinde colligunt, quod omni-
um simplicissima sint Elementa, *Vid: Sperling: Phys: Lib. V.*
cap: IV. p. 152. seqq. Tria autem tantum dari probantem
Henningium Sbeunemannum introducit *Conringius*, qui ita:
Sicut, inquit, DEUS est unus & trinus, sic omne, quod à DEO Ar-
chetypo factum, ut unum & trinum sit, necesse est, & prima cor-
pora à solo DEI nutu absq; ulla sermonum commutatione in prin-
cipio sunt creata, tertio vero die divina Majestas dixit: Con-
gregentur aqua, quæ sub celo sunt in locum unum. Ergo tria ista
principia sunt in celo. Mirum certe ratiocinium, Verum
ut ostendam pluribus hæc tria corpora producta non esse
Elementa, sed Elementata, non opus esse duco, ne crambe,
uti ajunt, bis cocta nausea oriatur, Elementorum producti-
onem & quæ illa sint describere, siquidem peculiaris *de*
Elementis sub Excell: DNo. Praeside habitâ prostat Disputatio. Hoc
tantum monendum, requisita Elementorum esse, ut non
sint ex alio, corpore sc. formato, non ex se invicem, clare

B

per-